

1492 si jacerent. Eam ad perniciem atque malum cum plures latæ leges nihil profuissent, uti e civitate tolleretur, una omnino Antonii legislatio saluti atque decori civibus fuit. Nam qui bini ad eam diem loculi patuli atque aperti, binos erant per ministros publice circumferri soliti; eos & a superiore tecto parte, & una conjunctos, inter seque continentes fieri statuit oportere: iisque ambobus sic connexis & conglutinatis, unum tantummodo in superiori parte laterorsum os dedit, eique ori tubum prominentem circumduxit semipalmæ spatio, ad interiores loculorum aditus obtegendos: quem per tubum recta utrumque ad loculum manus inferri apte posset. rursus eorum loculorum prior, tuboque proximus is collocabatur, cuius loculi glandulæ candidatos rejiciebant. Id ea causa excoxitaverat Antonius, ut si quis aliter atque ipsi liberet, suffragio ferendo cuiquam favere cogeretur, is, dum manum per tubi os ad posteriorem loculum protenderet, quod is esset loculus cuius suffragia magistratum crearent, apertis clam digitis in anteriore sineret loculo glandulam decidere. Ita cives unum simulando, alterum dissimulando, illud re, quod cuique esset prius, audacter efficerent, neque deprehendi aut cognosci posset quid fecissent. Ea lege post id tempus civitas majoribus in comitiis, atque in Senatu, & Decemvirum collegio creandis magistratibus semper est usa: liberumque illi judicium ab gratia atque invidia semper fuit. tametsi capitalibus, cæterisque omnibus in judiciis, uti, si cui non liqueret, is eo deferri posset, tertium etiam loculum adhibuerunt, eumque sejunctum a duobus atque separatum esse voluerunt.

Neque vero minus Decemviri ante anni exitum alia ex parte surgentem malorum civium ambitum severo iudicio represserunt. Erat in quadraginta viris rerum capitulum judicibus, qui omnes in Senatu adhibentur, Gabriel Bonus, eorumque magistrum gerebat. Creantur autem semel a collegio magistri numero omnes duodecim. Eorum magistrorum tres bimestre tempus apud Principem omni-